

Christus, qui est via, veritas et vita, qui facit ut nostra conversatio in cœlis sit: ipse enim æternitatis nobis aditum devicta morte reseravit. Hoc et multo plura verbotenus, licet sparsim, S. Bonaventura opusculo citato. Felix, qui hinc itineribus ad beatam æternitatem contendit. Felix, qui celerem temporum et sæculorum omnium volubilitatem transcendens, super anni solisque vias se librans, mentem figit in stabili et immobili æternitate. Felix, qui spreto vanis et caducis terræ bonis, jugiter circumstantibus, vivit æternis et solidis, vivit æternitati jugiter consistenti.

Simili modo S. Augustinus (vel quisquis est auctor), tract. *De Scala paradisi*, tom. IX, quatuor hujus scilicet gradus assignat, scilicet lectionem, meditationem, orationem, contemplationem. Lectio enim est iter ad meditationem, meditatio ad orationem, oratio ad contemplationem. Contemplationis enim, ait, adeptio sine oratione, aut rara, aut miraculosa, primus gradus est incipientium, secundus est proficientium, tertius est devotorum, quartus beatorum: lectio sine meditatione arida est: meditatio sine lectione erronea est: oratio sine lectione est tepida: meditatio sine oratione infructuosa: oratio cum devotione contemplationis est acquisitiva.

Vers. 7. 7. PRO INIQUITATE VIDI TENTORIA ÆTHIOPE. — Vatablus: *In nihilum redacta vidi tentoria Æthiopia.* Hebræum enim *in aven* et iniquitatem, et nihilum significat. Putant Chaldaei, Arias et Clarius hic celebrari victoriam Othonielis, qua liberavit Hebræos a servitute Chusan Rasathaim regis Mesopotamiae, *Judic.* III, et ad victoriam Gedeonis, quam retulit de Madianitis, *Judic.* VI; quia nominatur hic Madian, et quia in hebræo est Chusan, non Chus, vel Chusim, quod proprie significat Æthiopiā et Æthiopes. Verum Septuaginta, S. Hieronymus et alii Chusan vertunt Æthiopiā: Chusan ergo per paragonem idem est quod Chus, sicut Melchum idem est quod Melech et Moloch. Nam Habacuc hic tantum celebrat miracula Dei patrata a tempore egressus ex Ægypto usque ad ingressum in Chanaan, ut patet ex sequentibus; non autem ea quæ postea in Chanaan per Othonielem et Gedeonem Deus patravit. Porro iidem hic sunt Madianite et Æthiopes. Madianite enim in Scriptura vocantur Æthiopes, scilicet Orientales, sicut Abyssini sunt Æthiopes Occidentales. Unde uxor Moysi Madianitis vocatur Æthiopiassa, *Numer.* XII, 1. Vide ibi dicta. Sensus ergo est, q. d. Vidi, id est cognovi et patrum narratione accepti, ac ex Scripturis intellexi quid olim feceris, o Domine, Æthiopiis, id est Madianitis, « pro iniquitate, » id est propter scandalum fornicationis et cultus Baelphegor, quod ipsi dederunt filiis Israel, submitiendo in eorum castra suas filias, quæ ad utrumque scelus eos pellicerent, *Numer.* XXV, 1. Cognovi enim quod eorum pelles, id est tentoria et castra, turbaveris et profligaveris per Josue, occisis eorum

principibus, omnibusque masculis, ac Balaam scandali auctore, *Numer.* cap. II. Nota enallagen temporis: « turbabuntur, » id est turbata sunt: præcessit enim præteritum *vidi*. Rursum est hendiadys, *vidi et turbabuntur*, id est turbabantur, hoc est, vidi turbari tentoria Madian. Adjuat Albertus et Lyranus dici « turbabuntur, » quia simul Propheta respicit futuram victoriam Cyri, q. d. Sicut turbasti Madianitas per Josue, ita turbabis et profligabis eosdem per Cyrum, ob iniquitatem eorum quam commiserunt in filios Israel, adjuvando Chaldaeos in expugnatione Hierosolymæ.

Allegorice, Æthiopes typi sunt tum demonum, tum hominum impiorum: quia hi deformes et atrii sunt moribus, ut Æthiopes pelle et cute. Rursum corpora et mentes hominum impiorum non sunt aliud quam pelles et tentoria Æthiopiū, id est demonum. Sensus ergo est, q. d. Ego Habacuc in spiritu vidi et previdi quomodo et quam acriter Christus demones hominesque impios, qui Ecclesiam et fideles ejus persequuntur, sit castigaturus. Ant q. d. Æthiopes et Madian, id est, « Gentes repente perterritæ nuntio mirabilium tuorum, etiam in populo christiano, » ait S. Augustinus lib. XVIII *De Civit.* cap. XXXII, ut significet hic conversio gentium, etiam barbararum, ad Christum per Apostolorum miracula, prædicationem et vitam celestem.

8. NUMQUID IN FLUMINIBUS IRATUS ES? — *Flumina* Ven. x. vocat fluenta maris Rubri, æque ac Jordanis. Sic Homerus oceanum vocat flumen, dicens:

Oceani fluxum fluvii cum cymba reliquit.

Et Hesiodus:

Oceani fluvii perfecti gnata puella.

Poëticè describit Propheta divisionem maris Rubri, *Exod.* XIV, et Jordanis, *Josue* III, ut transiret Hebræi (1): unde metaphorice zelum Dei depingit per iram in mare et flumina, ac vires ejus per currus et pharetras, equos et quadrigas ejus nuncupat nubes et ventos: hinc etiam eodem tropo aquis quasi vim passis, dat dolorem. Sensus ergo est, q. d. Ad salvandum populum tuum Israel, videharis, o Domine, trasei et indignari Jordanem et mari Rubro, quando pro eo contra Pharaonem

(1) Quæ hoc versu commemorantur Jovane potentie documenta, præcesserunt quidem ea quæ versu superiori erant commemorata; sed sponte intelligitur non esse consilium vatis pristina Dei beneficia populo suo exhibita historice et chronologicè enarrare. (Rosenmüller.) Mater et contra: « Hujus loci sensus, nequaquam recte intellectus ab interpretibus, hic est: Num tu quo tempore populum ducebat ex Ægypto in terram Chanaan, hoc die etiam sevirè cogit in mare, in fluvios, id est in admiranda, quam antiquis illis temporibus, facinora facere cogitas quod inverberis, etc., quibus nihil aliud sibi vult vates, quam, sicut et facit talia, Jovam in eo esse. »

aliosque ejus hostes pugnaturus, ascendebas nubes quasi currum bellicum, ac quasi equos ageras tum ventos, tum angelos velocissimos, quibus partim Jordanem et mare dissecuisti, ut panderes iter viamque evadendi populo tuo; partim turbines ac fulmina, quasi arcus tui sagittas ejaculatus in Ægyptos, eos protrivisti, et in mari demersisti, ut suscitares « juramenta, » id est promissa tua juramento confirmata, quæ Israelitis præstiteras; ideoque « fluvios, » id est fluentia hæc maris Rubri et Jordanis, « scindes, » id est scidisti, ut « gurgēs » et abyssus « aquarum » recederet, et contra naturam quasi cum dolore, timore, stupore, sonitu ac fremitu undarum sese collidentium, in montes, id est in montium molem et altitudinem, utrinque se attollens, et quasi supplex manus in cœlum ad Deum extendens, medium iter præberet Hebræis sicum planumque ad transitum. Simili modo per Cyrum deducens Euphratis alveum in fossas, per eumque jam desiccatum Persas immittes in Babylonem Euphrati adjacentem, ut eam vastent, et Hebræos ex ea liberent, inquit Albertus et Hugo. Hoc enim stragemate Cyrum cepisse Babylonem ex Xenophonte docuit *Daniel.* cap. V, in fine.

Nota, vers. 9, in Hebræo additur *sela*, de quo dixi vers. 3, q. d. O potentiam, o victoriam, o fidelitatem, o bonitatem Dei, suos per divisionem maris et fluminum liberantis, stupendam omnique ævo decantandam!

Allegorice, aquæ multæ sunt populi multi, *Apoec.* XVII, 13, q. d. Anne gentibus iratus es, Domine? minime, quia eis Salvatorem misisti Christum. « Quia, » inquit S. Augustinus loco jam citato, « ascendes super equos tuos, et equitatio tua salus, hoc est, Evangelista tui portabunt te, quia reguntur a te, et Evangelium tuum salus est eis qui credunt in te. Fluminibus scindetur terra, hoc est, influentibus sermonibus prædicantium te, aperientur ad confitendum hominum corda, de quibus dictum est: Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra. Quid est, Videbunt te et dolebunt populi? nisi ut lugendo sint beati. Quid est, Dispersens aquas incesu? nisi ambulando in eis qui te usquequaque annuntiant, hæc atque illæ dispersis fluentia doctrina. Quid est, Abyssus dedit vocem suam? An profunditas cordis humani quid ei videretur, expressit? » Apposite Glossa hæc adaptat exaltationi Ecclesie sub Constantino imperatore. « Gurgēs aquarum transitit, id est inquit, impetus persecutionum transitit super christianos usque ad tempora Constantini. Dedit abyssus vocem suam, altitudo manus suas levavit. Per altitudinem intelligitur Constantinus, cui totus orbis erat subjectus: ipse vero manus suam levavit ad protegendam christianitatem; et tunc abyssus dedit vocem suam, quia christiani prius in abyssu tribulationis positi, eruperunt solummodo in Dei laudem. Sol et luna steterunt in habitaculo suo, id est Christus et B. Virgo palen-

ter honorati fuerunt in ecclesiis, qui prius colebantur in cryptis et locis occultis. »

Tropologicè, S. Gregorius lib. VIII *Moral.* cap. XIII, legens juxta Septuaginta: *Dedit abyssus vocem suam ab altitudine phantasiae suæ*, sic explicat: « Abyssus quippe phantasia altitudinem portat, cum humanus animus immensa cogitatione caliginosus, semetipsam etiam discutendo non penetrat: sed ab hæc altitudine vocem dare est; quia dum se inferre et superi, terra et cœlum, totusque orbis pro eo contra imperia pugnet et decerret, *Sapient.* v, 21, ac Dei vindicis vindictam et triumphum, plausu oris et manuum concinat et celebrat.

Anagogicè, hæc plane, ut sonant, faciet Christum in fine sæculi, quando puniet et perdet Antichristum et Antichristianos fluctibus, sonitu maris, amaritudine aquarum, fetore, putredine, tonitru, pluviis, grandine, fulminibus, ut patet *Luce* cap. XXI, 25, *Apoec.* cap. VIII et XVI; ita ut abyssus et altitudo, id est inferi et superi, terra et cœlum, totusque orbis pro eo contra imperia pugnet et decerret, *Sapient.* v, 21, ac Dei vindicis vindictam et triumphum, plausu oris et manuum concinat et celebrat.

QUADRIGÆ TUE SALVATIO. — Equos et quadrigam Dei vocat nubes, quibus quasi inequitans Deus fulgetra et tonitrua jaculabatur in Ægyptios, juxta illud *Psal.* CIII, 3: « Qui ponis nubem ascensum tuum, » id est currum tuum, q. d. Qui nubibus pro vehiculo uteris. Et *Psal.* LXXVI, 18: « Vocem dederunt nubes: etenim sagittæ tuæ transeunt; vox tonitru tui in rota. » Sic poëta Jovis potentiam ostentant, cum eum fulminantem, nubecogum, tonantem, ὑπερβαίνοντα, id est *altosferentem* vocitant, ut ait Lucianus in *Misanthropo*. Hinc illud Ovidii:

Illic et nebulae, illic consistere nubes
Jussit, et humanas motura tonitrua mentes.

Et lib. II *Metamorph.*:

Ille pater rectorque Deum, cui dextra trisulcis
Iguibus armata est, qui nuda conciliat orbem.

Alludit in voce *quadrigæ* ad arcam Testamenti: huic enim quasi curru bellico glorie suæ Cherubinis stipatus insidebat Deus, castra Hebræorum præiens et deducens per mare Rubrum. Licet enim arca respectu duorum Cherubim videretur biga, tamen erat quibus quadriga, tum quia quaternis globulis seu sphaerulis, quibus a pavimento elevabatur, quasi quatuor rotis insistebat; tum quia duo Cherubim quaternos et quadriformes, puta quatuor animalium, bovis, leonis, aquilæ et hominis habebant vultus, quasi quatuor insignia virtutum divinarum; tum quia Ezechiel cap. I, eundem currum glorie Dei describens, dat ei quatuor rotas, æque ac quatuor Cherubinos. Unde ad eum alludens *Psal.* CXXXVII, vers. 18: « Currus, inquit, Dei

decem millibus multiplex, millia letantium, Dominus in eis in Sina, in sancto, » *g. d.* Arguit et slipant currum Dei multe angelorum phalanges, imo myriades, et Dominus inter eos et super eos iniquitans, venit in Sinai, atque mansit in sanctuario. Unde subdit: « Viderunt ingressus tuos, Deus, ingressus Dei mei, et regis mei, qui est in sancto, » puta in sanctuario. Ita Prado in primam visionem Ezechielis, cap. x, et Pineda lib. VI *De Rebus Salomon.* cap. i. Cum ergo ait Habacuc: « Ascendes super equos tuos, et quadriga tue salvatio, » sensus est *g. d.* Deus non conscendit equum nisi ad salvandum, inquit Guevara. *Secundo,* nervosus Alcazar in *Apoc.* cap. vi, not. 2, *g. d.* Dei equi et quadriga sunt ipsa hominum salvatio, sive salus; ac si diceret: Deo nulli alii sunt equi, nullae quadrigae quas ipse conscendat, nisi huiusmodi opera, quae ad hominum salutem spectant, in quibus ipse gloriatur, et se hominibus agnoscendum exhibet, iuxta illud *Zaach. x, 3:* « Visitavit Dominus exercituum gregem suum, domum Juda, et posuit eos quasi equum gloriae suae in bello. » Quod si obijcias, quomodo ergo sequitur: « Ante faciem ejus ibit mors? » Respondeo, preit mors, ut hostes populi sui occidat, itaque cum salvet.

Symbolice et allegorice, S. Ambrosius, in *Psal. xi,* per equos et equitatum Dei accipit carnem et humanitatem Christi, cui quasi equo et curru inedit et inequitavit divinitas, ut victoriam nobis de peccato et demone pareret. « Unde, ait, dictum est *Habacuc iii:* Equitatus tuus salus: quod caro ejus, mundi totius erat susceptura peccatum, ut salus pro exitio, et vita aeterna pro morte succederet. Vulneratus ergo est equus solus, non mendax ad salutem. Vulneratus est equus qui totius mundi peccata suscepit, et onera nostra portavit: et non fuit fatigatus. Et ideo fortassis Joanni Evangelistae *Apoc. xix,* caelum apertum, et albus equus demonstratus est, super quem sedebat habens in capite diademata multa, et in femore suo nomen scriptum: Rex regum, et Dominus dominantium, etc. Hic ergo equus est vulneratus, sed non retardatus. Denique cum ipso vulnere de tumulo resurrexit, ecurrit ad caelum supra omnes angelos et archangelos, velocior omni equitata militie caelestis inventus: supra equos etiam illos igneos quibus Elias raptus est. » *Secundo,* idem Ambrosius in *Psalm. cxviii,* in fine octonarii quarti, per equos accipit Apostolos: « Ascendisti, ait, equos tuos, equitatus tuus sanctus. O honorum eorum dodecajugum mirabile, quibus frena pacis, habens sunt charitatis constructi inter se concordiae vinculis, et iugo fidei subiecti, quatuor rotis Evangelii mysterium totius orbis finibus invehentes, bonum aurigam portantes Dei verbum; cujus flagello fugate sunt illecebrae saeculares, exterminatus mundi istius princeps, iustorum cursus impletus est! O rationabilium eorum grande certamen, o miran-

dum mysterium, » etc. Et mox: « Animarum igitur nostrarum auriga Jesus, qui nos quoque vult ascendere equos nostros, hoo est nostra corpora, et vigilare semper, nec dicatur nobis: Dormitaverunt qui ascenderunt equos. »

Tropologice, idem S. Ambrosius lib. *De Isaac,* cap. viii: « Currus, ait, est anima; habet equos bonos, vel malos. Boni equi, virtutes sunt animae: mali equi, passionis sunt corporis. Bonus ergo rector malos equos restringit et revocat, bonos incitat. Boni equi sunt quatuor: prudentia, temperantia, fortitudo, justitia. Mali equi, iracundia, concupiscentia, timor, iniquitas. Interdum ipsi equi inter se dissident, et aut iracundia protendit, aut timor, et se invicem impediunt, et cursum retardant. At vero boni equi volant, et a terris ad superiora se subrigunt, animamque elevant, maxime si jugum habeant suave, et onus leve dicentis (Christi): Ipse rector est qui novit equos proprios gubernare, ut aequalis omnium cursus sit. Velociore prudentia tardat, justitia admonet flagello proprio signiore, temperantia mansuetiores, fortitudo duriores reddit: novit copulare discordes, ne forte cursum suum dissident. Isti sunt equi subiecti fidei iugo, astrieti vinculo charitatis, justitiae frenis, retinaculis sobrietatis, etc. Et intelligis illam animam esse pacificam, cui Pater Deus presul sit, Christus agitator. Hi sunt equi Christi. Ascendit ergo equos suos Christus, ascendit verbum Dei animas pius. Unde cognosce quia et istam ascendit, et perduxit eam ad locum palmae, quando et dicit ad eam: Quam pulchra et suavis facta est charitas in deliciis tuis! statura tua similis facta est palmae. Et ipsa ait *Cantic. vii:* Dixi, ascendam in palmam. Sed etiam ipsa charitas palma est; ipsa est enim plenitudo victoriae. Plenitudo enim legis charitas est. Curramus ergo, ut comprehendamus: curramus, ut vineamus. »

(1) 11. SOL ET LUNA STETERUNT IN HABITACULO SUO. Vers. 11.

(1) Vers. 10. « Viderunt te, et doherunt montes, » etc. *Viderunt te,* id est, cum vim tuam enserunt, *contremuerunt montes,* quibus alii reges et principes terre Chanaan significari existimant, alii illud spectari volunt, quod *Exod. xix, 18,* narratur de monte Sinai in promulgatione legis fumante totoque contremiscente, eo quod Jova in igne ad eum descenderet. Ita Chaldaeus: *In profectatione tua super montem Sinai viderunt gloriam tuam: commoti sunt montes.* Cum tamen eorum quae in solemnitate legis promulgatione evenerunt iam supra vers. 2, 4, facta esset mentio, nos ad ipsamur Schurreri sententiam, etiamnum sermonem versari in describendo itinere agminis Israelitici per desertum Arabicum, ducit et roge Jehova: « In eo est vates, inquit, ut, quoque se convertisset Jehova, timoris omnia plena facta esse edisserat. Maximi igitur consummatione terroris imaginem ut exhiberet, fingit naturam adeo universam penitus contatam fuisse et perturbatam, montes contremiscent, caelo imbres delapsos esse, saevisse mare turgidum. Quae si singula urgere, atque ad rerum vere gestarum narrationem conferre, atque examinare volueris, feceris omnino rem a mente et sensu vatis alienissimam. Neque enim in

— Commemorat miraculum Josue quo stitit solem et lunam, ac consequenter omnes orbis celestes, ut prosequeretur victoriam contra Amorrhoeos, eosque deleret. Imperans enim iis dixit: « Sol contra Gabaon non movearis, et luna contra vallem Aialon; steteruntque sol et luna donec ulcisceret se gens de inimicis suis, stetitque sol in medio caeli, et non festinavit occumbere spatium unius diei, » *Josue x, 12.* Ita Chaldaeus, Albertus, Clarus, Jansenius, Emmanuel, Mariana et alii. Aliter Vatablus; censet enim hic significari plagam nonam Aegyptiorum, quae fuerunt densissimae tenebrae per triduum, ita ut sol et luna consistere viderentur, *Exodi x, 21.* Verum tunc nec sol, nec luna stetit, nec tenebrae haec a statione solis et lunae, sed a Deo aere obscurante productae sunt.

In LUCI SAGITTARUM TURBAM, IBUNT (id est ibant, vel iverant; praecessit enim praeteritum *steterunt*) IN SPLENORE FULGURANTIS HASTAE Tuae. — Sagittas et hastam fulgurantem Dei vocat fulmina, tonitrua, grandines et lapides, quae Deus tunc e caelo pro Josue et Hebraeis jaculatus est in Amorrhoeos. Unde Tertullianus lib. *IV Contra Marcion.* cap. xxxix, legit: « Sol et luna constituti in suo ordine; in lucem coruscationes tuae ibunt in fulgore; fulgur totum tuum, in comminatione tua dimittes terram. » Sensus est, *g. d.* Cum sagittis tuis magnis, nempe lapidibus et fulguribus grandibus stetit, hostes Israelitarum prostermeres; tunc ipsi Israelitae per eorumdem fulgurum ac fulminum laeem illasi, imo illustrati, inimicos insectabuntur. Ita mirabili dispensatione tua factum est, ut haec tela tua populi tui commodis inserviret, quae hostibus extremum exitum inferrent. Noctui enim Israelitae aggredi coeperunt Amorrhoeos, ut patet *Josue x, 9.* *Secundo,* planus Arias, qui *ibunt* refert non ad Israelitas, sed ad solem et lunam, quae ibant, id est iter suum moderabantur pro jussu et commodo Josue, « in luce, » id est ad lucem, vel ad lucendum sagittis Dei, *g. d.* Sol et luna, quae alias statum suum iter peragere solent ad totius terrae omniumque gentium usum, illo die iter suum inverterunt et converterunt ad solius Josue usum Deique victoriam; nam steterunt quasi spectantes lucem armorum et fulgurantium hastarum Dei, et simul sua luce ibant cum Hebraeis, ipsisque praebant ad persequendum Amorrhoeos. Sol enim et luna consistendo cooperata sunt ad hanc pugnam et victoriam. Unde hac sua statione videbantur ire in hostes Hebraeorum, eosque cadere et prosternere. Simili schemate et planis victoriam suam contra Sisaram celebrant Debhora et Barac, *Judic. v, 20,* ut ostendant eam non humanis, sed divinis viribus partam. « De caelo, inquam, dimica-

hujusmodi pictaris poeticis singula seorsim quidquam valent, sed sunt omnia conjunctim spectanda, estque res quasi summa sola tenenda. » (Rosenmüller.)

tum est contra eos: stetit manentes in ordine et cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt; » quia Hebraeis sua luce ad pugnandum et vincendum praehurunt, hostes vero suo splendore et fulgore quasi fulgure percellerunt. Unde Plato in *Cratylo* censet *ἀστὴρ* dici quasi *στῆρᾶν*, id est fulgur; *ἀστῆρᾶν* autem, eo quod oculos luce illa *ἀστῆρῆς*, id est convertat. Tertio, Albertus, Hugo et Lyranus *ibunt* proprie accipiunt ut futurum, explicantque de Cyro et Persis, qui post tempora Habacuc nocte concubia, ut patet *Daniel. v, 30,* ex improviso adorti Babylonem, ad lucem sagittarum suarum et fulgurantium hastarum, quasi facum praehurunt, iverunt, ingressique sunt urbem, eamque ferro et flamma vastarunt: perinde ac Josue hisdem vastavit Amorrhoeos.

Allegorice, S. Augustinus lib. *XVIII De Civit.* cap. xxxii: « Elevatus est, ait, et luna stetit in ordine suo, hoc est ascendit Christus in caelum, et ordinata est Ecclesia sub rege suo. In lucem jacula tua ibunt, hoc est non in oculum, sed in manifestationem verba tua mittentur. In splendorem coruscationis armorum tuorum, subaudiendum est, jacula tua ibunt. Dixerat enim suis: Quae dico vobis in tenebris, dicite in lumine. In comminatione minorabis terram, id est comminando humilibus homines. Et in furore dejicies gentes: quia eos qui se exaltant, vindicando collides. » Et S. Gregorius lib. *XXX Moral.* cap. ii, per sagittas et jacula, accipit verba praedicantium; per fulgurantes hastas, miracula eorumdem: hisce enim confixae, perculsae et conversae sunt gentes ad Christum. Huc accedit Anastasius Sinaita Patriarcha Antiochenus, lib. *IV Haerem.* tom. I *Biblioth. SS. Patrum,* ubi docet quod, sicut luna post solis occasum oritur, ita post Christi recessum orta sit Ecclesia: « In altum, ait, elevatus est sol, hoc est Christus ascendit in caelos; et tunc luna stetit in ordine suo, nempe Ecclesia in valido suo statu, in pulchritudine sua, in decore suo, in illuminatione sua, in cursu suo. Recte autem dixit: In ordine suo; prius enim erat inordinata et incomposita, ut quae esset dedita idololatriae. » *Secundo* « sol dominatur astitit, ut qui sit elementum siccum, in typum Christi, qui in fine messis consummationis est exsiccaturus eos qui sunt sub peccato, flumine igneo: luna vero habet gubernationem aquae et Spiritus Sancti, qui a Christo Ecclesiae tanquam luna donatus est et creditus, ut per ipsam regeneretur, donec praeterierit non hujus aetatis, et rursus exortus fuerit sol justitiae. » Addeit deinde crescere fideles crescente Ecclesia, sicut crescit animalia crescente luna, datque exempla: Ibis, inquit, avis infesta serpentibus, non videt, nec comedit eo tempore quo luna in caelo non apparet. Similis orbes oculorum dilatantur crescente luna, eaque decrescente minuitur. Lychnis lapillus, crescente luna, edit somnum modulatum. Clopiis piscis crescente luna albescit, decrescente nigrescit. Simili modo

mutationes Ecclesie redundant, et transfundunt se in animam ejusque fidelis.

Anagoge-
ficio.

Anagogice, idem plane quod verba sonant, faciet Deus in fine seculi, cum solem et lunam obscurabit, ac fulmina vibrabit in hostes, juxta illud Sapient. v, 22: « Ibi sunt directe emissiones fulgurum, et tanquam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur, etc. Et a petrosa ira plena mittentur grandines. » Denique tum stabit sol, luna, omnisque cœlorum motus, sistetque in æternum.

Elevante se pre-
lato ele-
vantur
Ecclesie,
quasi in
na an-
gens se
leni.

Tropologicæ, cum sol, id est prelatus, se elevat ad vitæ reformationem et perfectionem, tunc ad eandem elevatur et luna, id est congregatio illi subdita. Unde S. Bernardus epist. 142 ad Monachos Alpenses: « Bonus, inquit, Pater vester atque noster, auctore Deo ad altiore gradum assumptus est. Faciamus ergo quod dicit propheta Habacuc, cap. iii: Elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo. Sol est ille per quem Alpensis congregatio illustris ubique redditur, tanquam luna per solem. Elevato itaque illo, stemus nos in ordine nostro, quicumque elegimus abjecti esse in domo Dei nostri, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Ordo noster abjectio est, humilitas est, voluntaria paupertas est, obedientia, pax, gaudium in Spiritu Sancto. Ordo noster est esse sub magistro, sub abbate, sub regula, sub disciplina. Ordo noster est studere silentio, exerceri jejuniis, vigiliis, orationibus, opere manuum, et super omnia excellentiorem viam tenere, que est charitas. Porro in his omnibus proficere de die in diem, et in ipsis perseverare usque ad ultimum diem. Et hæc quidem assidue vos confidimus acclamare. Cæterum unum opus fecistis, et omnes mirantur quod, cum sancti essetis, non reputantes vestram sanctitatem, alienam participare curastis, ut essetis sanctiores: » qua transierant ad strictiorem Ordinem Cisterciensium. Unde subdit: « Quam leto sinu collegit vos multitudo Cisterciensis, quam alacri vultu spectavit hoc angelica celsitudo! »

VERS. 13. 13. EGRESSUS ES IN SALUTEM POPULI TUI (cum cum liberasti et eduxisti ex Ægypto): IN SALUTEM CUM CHRISTO TUO, — ut populum salvares et educes per Moysen, quem quasi Christum spiritu tuo unxisti, ut esset dux et propheta populi tui. Simili modo egrediens cum Cyro in aciem contra Babylonem, ut ex ea liberet et educaat populum tuum captivum. Hinc Cyrus ab Isaia cap. XLV, 1, vocatur Christus, dum ait: « Hæc dicit Dominus christo meo Cyro. » Ita Albertus, Hugo, Lyranus et Dionysius. Allegorice proprie et potius per Christum Dominum, ejus antitypus fuit Moyses, æque ac Cyrus, salvabis populum fidelem, eumque educes ex captivitate diaboli. Unde Sexta Editio habet: *Egressus est ut salvares populum per Jesum Christum tuum.* Ita Hebræi, S. Augustinus lib. XVIII *De Civit.* XXXII, S. Hieronymus et alii passim. Quare fraudulenter hunc locum verterunt,

imo depravarunt, Symmacus et Theodotus qui, quia erant Eblonite, et Christum negabant esse Deum, hinc transtulerunt, ut *salvares Christum tuum*; non enim Christus hic dicitur salvatus, sed populus per Christum salvatorem: *Egređi enim in salutem populi cum Christo*, est salvare populum per Christum. Perperam quoque Chaldaeus vertit: *Revelatus es ad liberandum populum tuum, ad liberandum Christum tuum*, quasi populus Israel et fidelis vocetur hic Christus, juxta illud *Psalm.* civ, 13: « Nolite tangere christos meos, » id est Israelitas meos. Verum ibi per christos Psaltes intelligit Patriarchas, ut recte annotavit S. Hieronymus et Theodoretus, puta Abraham, Isaac et Jacob, quos Deus unxerat, id est sua gratia consecravit et auctoravit, prophetas et principes gentis suæ. Unde explicans subdit: « Et in prophetis meis nolite malignari. » Adde Hebræa hic non habere, *ad liberandum Christum tuum*, ut veritè Chaldaeus, sed *ad salvandum*, vel liberandum, scilicet populum, cum Christo, vel per Christum tuum; propositio enim לְיָשׁוּעָא , significat cum, per. Quodcirca Hebræa præcise sic sonant: *Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.*

PERCUSSISTI (Pagninus, *transfœcisti*; Tigurina, *contulisti*) CAPUT DE DOMO IMPII. — « Caput » intellige Pharaonem, quem Deus percussit mergendo eum in mari Rubro: hic enim caput erit et princeps domus impii Cham, qui fuit nequissimus, et primus regnavit in Ægypto, que inde dicta est terra Cham, *Psalm.* civ, 23, et *Psalm.* LXXVII, 31. Alii, ut Albertus et Vatablus, per caput intelligunt filium primogenitum Pharaonis, quem morte percussit Deus *Exodi* XII, 29. Aut caput, id est capita, hoc est principes impii Pharaonis. Simili modo percussit Balsasarem, qui est caput in domo impii Nabuchodonosoris, per Cyrum, inquit S. Hieronymus, Hugo et Lyranus.

Allegorice, Christus percussit diabolum, qui est caput impiorum, ac in fine mundi percussit Antichristum, qui erit princeps in domo et familia diaboli. Ita S. Hieronymus.

DENUDASTI FUNDAMENTUM EJUS USQUE AD COLLUM. — « Ejus, » scilicet non capitis, sed domus: id domus enim habet fundamentum, non caput, *q. d.* Domum impii Pharaonis, puta familiam regiam, ipsamque Ægyptum, ab imis fundamentis usque ad collum, id est usque ad summos vertices, detexit, id est detegendo diruisti et evertisti, per metalapsin, quasi dicit (1): Totum exercitum

(1) Dissident interpretes in explicando hoc loco. Alii sic statuunt: Metaphora a domo petita, que funditus destruitur: evertit hanc domum injustam funditus. וְנָרַח *rosch* videtur esse cacumen, fastigium domus: nunc insisit Propheta metaphora inchoata, nominatè וְנָרַח *tsaouar*, eam partem domus, que fastigio proxima est, et ideo fundamentum, seu infimam partem dicitur opponitur. Opponunt quidem perversum fere loquendi modum sic tribui Prophete, qui dicentium potius fuerat, a collo ad fundamentum. Sed in antec-

Pharaonis a minimo usque ad maximum, in mari Rubro perdidisti, et quasi a terra abrasisti. Caput enim est Pharo, collum sunt principes, fundamenta et ima sunt milites. Combinat duas metaphoras, hominis et domus: nam collum et caput sunt hominis, fundamentum proprium est domus. Hebræi enim hominem, puta filium, vocant *ben*, quasi domum quam בְּנֵי *bana*, id est edificavit, pater. Si enim homo est microcosmus, multo magis est *microcosmus*, id est *parva domus*. Et vicissim, sicut mundus est quasi magnus quoddam animal, et magnus homo, ejus anima est spiritus Dei, hepar est mare, vesica sunt flumina, oculi sunt fontes, etc.: ita domus, familia et respublica est magnus quidam civilis et politicus homo, cujus caput est paterfamilias, princeps aut rex; collum sunt principes, brachia sunt milites, pedes et ima sunt plebs. Plebs enim est maxime necessaria pars, et quasi hypostasis reipublice, cui omnia ejus onera incumbunt. In domo vero particulatim, et quasi physice, caput est tectum, collum sunt juncturae lecti cum parietibus, corpus sunt ipsi parietes, pedes et plante sunt fundamenta. Jam symbolice domus est familia et respublica, cujus caput et tectum est pater, princeps vel rex; collum et juncturae sunt principes, corpus et parietes sunt cives et mercatores, pedes sunt rustici et coloni, et quibus colliguntur milites. Dicit ergo: Tu, o Domine, fundamentum domus Pharaonis, id est regni Ægypti, demudasti, ut illud funditus quasi a fundamentis dirueres. Qui enim domum evertere voluit, fundamenta nudant, juxta illud quod *Babyloni* imprecatur Psaltes *Psalm.* cxxxv: « Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea, » quasi dicit: Interemisti exercitum Pharaonis cum suis ducibus et principibus, in quo erat fundamentum, id est robur et fortitudo totius Ægypti. Ita Vatablus. *Secundo*, Guevara sic explicat, quasi dicit: Maximis opprobriis et ignominiosis affectis, o Domine, Ægyptum, non secus ac si illius caput rasisse, inferioresque corporis partes (que sunt quasi bases et fundamenta) pudendaque ipsa ad collum etiam usque nudasses. *Nudare* enim in Scriptura subinde tondere significat, ut *Isaia* III,

dentibus Propheta locutus est de inundatione (vers. 10), adeoque eversionem domus vult fieri per inundationem, que primam fundamenta subvertit, quibus evasis, et premsa et altior cœlitibus pars subsidet. (Ackermann.) — Sed præcipua illa, quam adoptavit Rosenmuller cum Schnurrer, inquit idem Ackermann, « וְנָרַח de fundo maris arabici intelligenti, quod nudatum erat a Deo remota aqua, ut sicco pede transmigrarent Israelite; וְנָרַח *arot* est infinitivus postus loco præteriti וְנָרַח *erita*. — Postrema autem verba ad *tsouar* (usque ad collum), inquit Schnurrer, necesse est elliptice dicta esse, nisi textum ipsum aliqua sui parte truncatum esse dixeris, quam vero suspicem in antiquis versionibus nihil est, quod ullo modo confirmare possit. Elliptica si sint verba ad *tsouar*, sponte legentibus succurrit, dicta ea esse pro *quare illos obruit*, coll. *Jesai.* VII, 8, et *xxx*, 28, ubi inundatio ad collum usque pertingere. »

17: « Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, nudare et erinem earum nudabit. » Alludit ad *Isaia* VII, 20: « In die illa radet Dominus in novacula conducta in his, qui trans flumen sunt, in rege Assyriorum, caput et pilos pedum, et barbam universam. » Quod enim dixit Isaia: « Radet caput, » hoc dixit Habacuc: « Percussisti caput: » percussisti, scilicet nuditate et calvitio. Rursum, per fundamentum possumus intelligere caput. Est enim homo velut arbor inversa, pro radicibus habens capillos, pro ramis manus et pedes. Porro quantum probum sit raserat et decalvato, ac depilatio totius hominis, patet ex illo Poeta:

Turpe pecus mutillum, turpis sine gramine campus,
Et sine fundo frutex, et sine crine caput.

Hæc Guevara. Prior explicatio uti planior, ita et litteræ conformior et germanior est. Denique in Hebræo addit *seta*, quasi nota admirationis et plausus tante stragis et victoriae.

14. MALEDIXISTI SCEPTRIS EJUS. — *Maledixere Dei* Vers. 14. est malefacere, hedere, occidere, perdere: dicere enim Dei est efficax, idemque quod facere. Per scepra, vel principes intellige, qui gestabant scepra quasi insigne principatus: vel metonymice « sceptris, » id est regnis et provinciis « ejus, » quibus cum scepro, id est potestate regia, imperabat Pharo, quasi dicit: Regna et ditiones Pharaonis, omnemque ejus tyrannicam vim et potentiam destruxisti. Olim enim universi principes ac magistratus scepra gestabant. Sic singule tribus Israel habebant suam virgam, quasi sceprum, *Numer.* XVII, 1. Sic Homerus non tantum Agamemnoni, sed et Achilli et Telemacho principibus sua ad fundamentum in ea, » quasi dicit: Interemisti exercitum Pharaonis cum suis ducibus et principibus, in quo erat fundamentum, id est robur et fortitudo totius Ægypti. Ita Vatablus. *Secundo*, Guevara sic explicat, quasi dicit: Maximis opprobriis et ignominiosis affectis, o Domine, Ægyptum, non secus ac si illius caput rasisse, inferioresque corporis partes (que sunt quasi bases et fundamenta) pudendaque ipsa ad collum etiam usque nudasses. *Nudare* enim in Scriptura subinde tondere significat, ut *Isaia* III,

dentibus Propheta locutus est de inundatione (vers. 10), adeoque eversionem domus vult fieri per inundationem, que primam fundamenta subvertit, quibus evasis, et premsa et altior cœlitibus pars subsidet. (Ackermann.) — Sed præcipua illa, quam adoptavit Rosenmuller cum Schnurrer, inquit idem Ackermann, « וְנָרַח de fundo maris arabici intelligenti, quod nudatum erat a Deo remota aqua, ut sicco pede transmigrarent Israelite; וְנָרַח *arot* est infinitivus postus loco præteriti וְנָרַח *erita*. — Postrema autem verba ad *tsouar* (usque ad collum), inquit Schnurrer, necesse est elliptice dicta esse, nisi textum ipsum aliqua sui parte truncatum esse dixeris, quam vero suspicem in antiquis versionibus nihil est, quod ullo modo confirmare possit. Elliptica si sint verba ad *tsouar*, sponte legentibus succurrit, dicta ea esse pro *quare illos obruit*, coll. *Jesai.* VII, 8, et *xxx*, 28, ubi inundatio ad collum usque pertingere. »

Allegorice, Christus perforavit et prostravit sceptrum Neronis, Decii, Diocletiani ceterorumque persecutorum Ecclesie; ac pari modo in fine mundi prosteret sceptrum Antichristi, Gog et Magog.

CAPITI BELLATORUM EJUS. — « Capiti, » id est capitibus, puta cunctis duobus bellatorum ejus, videlicet impii Cham, vel Pharaonis, qui fuit caput et princeps domus Egypti, uti precessit. Est epanalepsis, sive prioris sententiae repetitio et expositio; principes enim, quos vocavit sceptrum, id est sceptrigeros, hic vocat capita, sive duces bellatorum. Quocirca Septuaginta vertunt; *Distisisti instupore capita potentum*. Unde de his subdit:

VENTURUS UT TURBO, etc., — *g. d.* Dejecisti sceptrum, id est sceptrigeros, qui veniebant cum impetu et furore quasi turbo, ad dispergendum me, scilicet Israel, qui sum populus tuus.

EXSULTATIO RORUM, — scilicet erat, *g. d.* Exsultabant sceptrigeri duces Egypti, quod me conclusum in mari cererent; pulabant enim ibi me devorare, sicut qui visus potens exsultat, cum pauperem quem maculare vel spoliarare intendit, in latibris reperit, ubi nemo ei auxiliatur.

Nota: Propheta toto hoc carmine adeo celebrat stragem Pharaonis, et liberationem Hebraeorum ex Egypto; quia illi per omnia similibus in strage erat strages Chaldaeorum, et liberatio Hebraeorum ex Babylone, quam proprie ipse spectabat et sperabat; et utraque similis fuit liberationi hominum et captivitate peccati per Christum, quam ultimo et maxime ipsa representare intendebat. Id ita esse patet ex hisce trisymphis antistrophis:

Tristro- pha.	Pharao, Moses, Egyptus, Servitus, Mare Rubrum, Hebraei, Chanaan,	Balsasar, Cyrus, Babylon, Captivitas, Euphrates, Judaei, Judaea,	Diabolus, Christus, Peccatum, Tyrannus, Jordanes, Christiani, Ecclesia.
------------------	--	--	---

Pharao enim tyrannus affligens et persequens Hebraeos, typus fuit Balsasaris captivos detinentis Judaeos, et uterque typus fuit diaboli genus humanum opprimientis. Moses, liberator Hebraeorum et caesor Pharaonis, fuit typus Cyri liberatoris Judaeorum per caedem Balsasaris, et uterque fuit typus Christi liberatoris fidelium per stragem diaboli. Egyptus, carcer Hebraeorum, fuit typus Babylonis carceris Judaeorum, et uterque fuit typus peccati, mortis et inferni, cui quasi carceri mancipati erant homines peccatores. Servitus Egyptia fuit typus captivitate Babylonica, et utraque typus fuit tyrannidis peccati et concupiscentis. Scidit Moses sua virga mare Rubrum, itaque Hebraeos liberavit, Egyptios merisit; ita Cyrus scidit et divisit Euphratem, ac per eius alveum sicum milites immisit in Babylonem, itaque Chaldaeos occidit, Judaeos liberavit.

Allegorice, Christus in Jordane baptizatur,

fluente baptismi segregans a vulgaribus aquis, per ea suos fideles traducens justificat et salvat. Moses Hebraeos ex Egypto eduxit in Chanaan, Cyrus Judaeos et Babylone remisit Hierosolymam, Christus fideles et paganismo et judaismo tradidit ad Ecclesiam, tum millitanem, tum triumphantem.

15. VIAM FECISTI IN MARI EQUIS TUIS. — *g. d.* Tu, Domine, deducens filios Israel per mare Rubrum, ita secure et gloriose deduxisti eos in conspectu hostium Egyptiorum, ac si magno equitatu eos vallares et prosequeris. Poetice enim equos et quadrigas Dei, vocat ejus robur et potentiam, quae plus valebat quam omnes Pharaonis equi et equites, juxta illud *Psalm.* xix, 8: « Ili in curribus, et hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus. » Proprie per equos hosce significat angelum in columna ignis et nubis praeventem castra Hebraeorum; hic enim cum angelis sibi assecit erat quasi equitatus et comitatus Hebraeorum, eos deducens et defendens contra Egyptios. Unde de eo dicitur *Exod.* xiv, 19: « Tollensque se angelus Dei, qui praecedebat castra Israel, abiit post eos: et cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, post tergum stetit inter castra Egyptiorum et castra Israel. » Idem angelus paulo post jaculatus tela et fulmina in Egyptios, eos prostravit. Hoc est enim quod dicitur ibidem, vers. 24: « Et ecce respiciens Dominus super castra Egyptiorum per columnam ignis et nubis, interfecit exercitum eorum: et subvertit rotas currum, ferebanturque in profundum. » Jure ergo hi vocantur equi et equitatus Dei, qui totum Pharaonis equitatum deleverunt. Unde Chaldaeus vertit: *Manifestatus es super mare in quadriga gloriae tuae*. Simili modo Deus viam fecit equitibus Cyri in Euphrate, ad invadendam Babylonem.

IN LUTO AQUARUM MULTARUM. — Alveum maris Rubri immisso vento jam siccat Deus, ut sicco pede transiret Hebraei; eum tamen vocat lutum, quia paulo ante fuerat lutum, vel quia ad latera utrinque aquis cooperta, inter quae transierunt Hebraei, erat lutum plurimum. Pro luto hebraice est *חמר chemer*, pro quo Chaldaeus et recentiores aliis punctis legunt *חמר chomer*, id est utrem, vel aerium, unde vertunt, *in aervo aquarum multarum*. Utrinque enim in magno quasi utre et aervo assurgebant aquae, in quorum medio sicco pede transierunt Hebraei, juxta illud *Psalm.* lxxvii, 13: « Interrupti mare, et perduxit eos: et stetit aquas quasi in utre; » Septuaginta vertunt: *Superdixisti in mari equos tuos, conturbantes aquas multas*. Radix enim *chamar* significat miscere, turbare, confundere; unde *chomer* significat lutum, vel vinum mixtum et turbidum.

Allegorice, Deus Apostolis quasi scidit flumina et maria, dum per hec eis iter pervium fecit, ut totum orbem evangelizando peragrarent, et subigerent Christo. Unde S. Augustinus lib. XVIII De

Civit. xxxii: « Immisisti, ait, in mari equos tuos, turbantes aquas multas, quae nihil sunt aliud, quam populi multi; non enim alii timore converterentur, alii furore persequerentur, nisi omnes turbarentur. »

Tropologice, simili modo per medias calamitates, quae per medias maris aquas et fluctus, salvos et incolumes suos fideles, cum iis quasi incedens eosque protegens, deducit et educit Christus, vel, ut S. Gregorius lib. XXXIV *Moral.* xii: « Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum, ac si diceret: Aperuisti iter praedicatoribus tuis inter doctrinas mundi hujus, sordida et terrena sapientes. Luto quippe inherere, est sordidis desideriis concupiscentiae carnalis inquinari. » Idem, lib. XXXI *Moral.* x: « Misisti, ait, in mari equos tuos, conturbantes aquas multas; quiete quippe aquae jacuerunt, quia humanae mentes diu sub vitiorum suorum torpore sopita sunt; sed equus Dei mare turbatum est, quia missis sanctis praedicatoribus omne eorum quod pestifera securitate prout, impulsu salutiferi timoris expavit. »

16. AMIVI. — Redi hic Propheta post carmen et epinacium victoriae Dei ad vers. 1, *g. d.* Talis quidem fuit victoria Dei contra Pharaonem, talisque erit contra Balsasarem; sed interim dum in statione mea vigil exubo, ut audiam Dei oraculum, ut dixi cap. ii, 4, ecce ab eo audivi et audio, ut capi dicitur vers. 1, tantam stragem fore Judaeorum per Chaldaeos, et Chaldaeorum per Cyrum et Persas, ut eam cogitans contremiscam et cohorescam, nimirum, ut dum eam rumino, cor mihi commoveri et vox tremere videatur (1). Tristes enim et atroces, etiam hostium, casus naturaliter horrorem incutunt, et natura quendam compassionis motum sensumque excitant, ut excitavit casus Babylonis, *Isaia* cap. xxi, 3. Ita S. Hieronymus, Hugo, Clarus et alii. Allegorice Theodoretus, *g. d.* Audivi a te, Domine, quod populus meus Christum sit occisurus, ideoque exsuscitendus a Tito; quocirca conturbatus sum et contremisi; sed me consolator, quod eo tempore non ero superstes, nec tanta mala videbo.

INGREDIATUR PUTREDO IN OSSIBUS MEIS. — *g. d.* Sed quid me hinc stragibus frustra disrudio? Jam enim a Deo absolute decreta sunt, ideoque inevitabiles. Quid ergo? hoc unum superest quod optem et orem, nimirum, opto, Domine, oroque ut veniant in me omnes tribulationes et arumne, alioo ut ossa mea putrescant, et caro mea instar S. Job pus vomat, et vermibus scateat, dummodo mihi concedas ut requiescam in die tribulationis, id est excedi Babylonis, ut tunc cum Chaldaeis

non perlimar a Persis, sed ex ea jubente Cyro redux ascendam ad populum nostrum, ut illi annumeratus, cum eo et inter eum sospes pergam in avitam patriam. Ipse enim, duce Zorobabele, instructa quasi acie accinctus ad iter, per medios hostes fortis et felix rediit in Judaeam. Ita S. Hieronymus, Hugo et Jansenius. Aut, *g. d.* Emoriar, Domine, ne videam hanc tribulationem et captivitate gentis meae; sed in suavi mortis somno quiescens ascendam et transeam ad caelum Abraham, Isaac, Jacob, Josue, aliorumque virorum sanctorum et forium e populo meo, qui olim pro gente sua armis accincti, insignes de hostibus victorias retulerunt.

Nota: Hebraice, pro *ingrediamur*, id est accinget eum, Nostrum legisse *נודתי tegedenu*, id est quem accinget, vel qui accingetur nobis, id est accinctum nostrum. Rursum *ingrediamur* non tantum significat accinctum, sed et unum, collectum, colligatum, congregatum et conjunctum; inde enim turme et congregationes militum vocantur *נודתי gedudim*. Jam fideles et sancti cum diem suum obirent, dicebantur congregari et colligi ad populum suum, patribusque suis apponi et copulari, ut de Moyse dicitur *Numer.* xxxi, 2, de Josia, *II Paral.* xxxiv, 28. Dicebantur autem pii viri colligi, seu colligari in fasciculo viventium, *I Reg.* xxv, 29, ut instar odoratissimorum florum fasciculi in aeternum essent in manu Domini, *Ecclesi.* xxxix, 17. Ad hunc igitur floridissimum hortum Palestine, fragrantissimis Patriarcharum, Prophetarum, ceterorumque justorum floribus vernantem; ad hunc sanctorum populum jam accinctum, id est in fasciculo viventium jam collectum et colligatum; in terra autem promissionis sepulchrum, se ascensurum letatur, simulque orat Habacuc, Hebraei populi representans personam. Horum enim summum desiderium Israelitas in captivitate tenuisse credibile est. Sic Jacob desideravit sepeliri, non in Egypto, sed in Chanaan, ubi parentes, Abraham et Isaac sepulti erant, *Genes.* xlvii, 29. Sic et Joseph, *Genes.* l, 23. Quin et Aeneas apud Virgilium Palinuri mortem deplorat, quod longe a suis in peregrino solo sepeliretur.

O minimum caelo et pelago confide sereno!
Nodus in ignota Palustris jacobis arena.

Anhelabant ergo Israelite et Babylone redire, et aggregari patribus suis sanctis, qui in Palestina degabant sepulti, quasi stationarii quidam ac praevidiarii terre illius milites, quorum subsidio Judei tot periculis et calamitatibus erepti, tunc beneficiis a Deo affecti jugiter existerant. Ita Guevara.

Aliter vertit Pagninus, nimirum: *Ingressa est putredo in ossa mea, et in loco meo exarui, qui me putabam requiescere in die angustiae, quae erit quando hostis cogitabit ascendere contra populum, ut succidat eum*. Aliter quoque Vatablus et alii, dum suo

(1) « A voce contremuerunt labia mea, » id est ita palpitavit, ut quasi tintillent. Omnino labiis in stylo poetico tinnitibus tribui potest, quod, cum quis horrore corripitur, palpitant labia, eduntque sonum praenimio pavore. (Ackermann.)

more Hebraea condita varie supplent, et a Vulgato recedunt. Porro Guevara in contrariam prorsus abit sententiam; censet enim haec verba Prophetae non indolentis, sed letantis esse, ac gentis ex leto oraculo de Chaldaeorum excidio et Judaeorum libertate. Solet enim vehementis letitia totum corpus alterare ac commovere, imo evanescentibus spiritibus abire in deliquium ipsamque mortem. Multi enim ex repentino et ingenti gaudio animam exhalant, ut pluribus exemplis demonstrat Guevara. Hunc ergo hujus loci dat sensum: Audivi, inquit Habacuc, Babylonem a Cyro excidendam, et Judaeos meos ex ea liberandos; atque dum mentis auribus tam jucunda nuntia percipio, cor meum et omnia interiora mea tremefacta sunt, ac ad vocem et letissimum hoc nuntium, praegaudio contremuerunt labia mea. E cunctis enim membris tremor haec tria maxime solet invadere, labia, genua et cor. Ad subitas quippe animi perturbationes, sive doloris esse sint, sive letitiae, cor palpitat, concutitur labia, et genua pariter collabuntur. *Ventrem* autem hebraea dialecto Propheta pro corde posuit. A corde enim letitia, sicut et mororis, motus exoritur, aequae ac in eodem desinit. Quidquid enim a collo usque ad inguina est corporis, *venter* ab Hebraeis vocatur. Quod autem sequitur: «Ingradiatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat,» periphrasis est mortis, qua teste Aristotele, putredo quaedam est. Is enim in *Problema* quærens: «Cur diutius vivunt, qui locis calidis suam degunt ætatem?» respondet: «An quia natura sunt sicciore? firmius autem diuturniusque quod siccius est: mors autem putredo quaedam est.» Hac mortis periphrasi usus est Job, dicens cap. xiii, 28: «Qui quasi putredo consumendus sum.» Et cap. xvii, 14: «Putredini dixi: Pater meus es; mater mea, et soror mea, vermis.» Et cap. xxv, 6: «Homo putredo, et filius hominis vermis.» Et *Ecclesi.* cap. xix, 3: «Qui se jungit fornicariis, erit nequam: putredo et vermes hereditabunt illum,» id est cita et praecoci morte occumbet. Inquit igitur Habacuc: Audito tam hilari nuntio, tanta letitia praecoccupatus sum, ut et intus totis visceribus, et labiis exterioribus tremissem, parumque abfuerit quin exanimatus putrescerem, et putridus vermis scaterem; id est parum abfuit quin emorerer risu, et tantam letitiam non sustinens examinarer. Aut, *q. d.* Amodo jam ob tam faustum oraculum lætus morior, numerque profecto tempus est, cum jam alacer et contentus occumbam: posthac licebit utique per me, ut ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat. Atque ut dixit Chærea: «Nunc tempus profecto est, cum perpeti me possim interficere.» Verum hinc expositioni adversatur id quod sequitur: «Ut requiescam in die tribulationis: quæ verba significant haec non esse lætantis, sed dolentis et parentis, ac ex pavore optantis quilibet perpeti, ut in die tante tribula-

tionis ei detur quiescere, ejusque mala et sensum evadere.

Mystice, hæc usurpet, hæc oret quisque fidelis, et cum S. Augustino dicat: Hic ure, hic seca, Domine, ut in futuro pareas, ut in die iudicii requiescere merear, quando mystica Babylon, id est mundus, in quo est confusio tyrannorum superborum et vitiorum omnium, a te disperdetur et in æternam gehennam miseriam detrudetur; nimirum, ut, cum reprobi dicent montibus: Cadite super nos; et collibus: Operite nos; ego cum sanctis ascendam ad populum electorum, cum eoque scandam in cælum, qui in hac vita armis spiritualibus accinctus, fortiter contra peccatum et diabolum dimicavit, ita ibi accinctus sit paludamento et balneo gloriæ ad triumphum. Ita S. Augustinus in *Manuali*, cap. xiv, tom. IX: «O anima mea, ait, si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam longo tempore tolerare, ut Christum in gloria sua videre possemus, et sanctis ejus sociari, nomen dignum esset pati omne quod triste est, ut tanti boni tantæque gloriæ participes haberemus? Invidiant ergo demones, parent suas tentationes, frangunt corpus jejunia, premant carnem vestimenta, labores gravent, vigilia exsiccant, clamet in me iste, inquietet me ille vel ille, frigus incurvet, conscientia marmuret, calor urat, caput doleat, pectus ardeat, infletur stomachus, pallescat vultus, infirmetur totum corpus, deficit in dolore vita mea et anni mei in gemitibus, ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat, ut requiescam in die tribulationis, et ascendam ad populum accinctum nostrum.»

Denique S. Gregorius lib. XXXII *Moral.* cap. x, *Secundo*, ex Septuaginta legit: *Et introivit tremor in ossa mea, et subter me turbata est virtus mea:* siquæ explicat, *q. d.* «Non mea virtus est, in qua superius raptus imperturbabilis maneo; sed mea infirmitas est, qua interius turbor. Ipse ergo super imperturbabilis est, ipse sub se perturbabilis: quia super se ascenderit, in quantum rapietur ad summa, et sub semetipso erat, in quantum adhuc reliquias traheret in infima. Ipse super se imperturbabilis est, quia in Dei jam contemplationem transierat; ipse sub se perturbabilis, quia sub semetipso adhuc infirmus homo remanebat.»

17. **FICUS ENIM NON FLOREBIT.** — *q. d.* Tanta erit Babylonis per Cyrum vasitas, tantum incendium, tanta desolatio, ut exarescant ficus, vineæ, germina, oves et armenta (1). Chaldaeus paraphrasitice et nimis libere, imo violenter et false ita vertit: *Etenim regnum Babel non permanebit, nec exerebit dominum in Israel: trucidabuntur reges Mediae, et fortes Græciae non prosperabuntur: telebun-*

(1) Juxta Ackermann, Propheta tristem faciem depicti patriæ a barbaris occupatæ et desolatæ.

tur Romani, nec colligent tributum de Jerusalem. Quæ verba reddent judaismum: Judæi enim expectant suum Messiam, qui deleat Romanos, Græcosque, Medos et alias gentes omnes sibi et Judæis subigat.

Mystice S. Augustinus lib. XVIII *De Civit.* xxxii, hæc explicat de sterilitate bonorum spiritualium, quam passi sunt et patiuntur Judæi ob casum Christum: «Vidit, inquit, eam gentem quæ Christum fuerat occisura, ubertatem copiarum spiritualium perdituram, quas per terrenam fecunditatem more prophetico figuravit. Et quia iram Dei talem propterea passa est illa gens, quia Dei ignorans justitiam, suam voluit constituere, ille continuo: Ego autem, inquit, in Domino gaudebo, et exsullabo in Deo Jesu meo.»

MENTIUR OPES OLIVÆ. — Opus olivæ est fructus olivæ, quem producit olea, *q. d.* Olea non feret olivas, quas frondendo promittebat, itaque fallit herum suum, eique quasi mentitur, dum spondebit fructum quem non præstabit. Unde explicans subdit: «Et arva non afferent cibum.» Sic Horatius: «Spem mentita seges.»

18. **EGO AUTEM IN DOMINO GAUDEBO.** — Hebraice אֲנִי וְעַלְוָתָא *celosa*, quod Græci dicunt ἐπαιζέω, Septuaginta ἐπαλλασσέμαι, id est *exsullabo*, jubilabo, eanam alala, idque «in Domino,» propter opem et salutem ab eo mihi præstitam. *Gaudere in Domino*, est de illius in nobis imperio, gubernatione et protectione lætari; quidquid boni ac læti interius aut exterioris nobis contingit, illi acceptum ferre, proque acceptis ab eo beneficiis gratias illi cum jucunditate et júbilo rependere. Vide dicta *Philipp.* iv, 4.

Nota igitur autem, quod hæc connectit et opponit præcedentibus, *q. d.* Hostes et oppressores nostri Chaldaei, in excidio Babylonis erunt in summa miseria, vasitate et desolatione rerum omnium: ego autem cum meis Judæis ex Babylone liberandus et rediturus in patriam, in Domino jam felix gaudebo, qui justam de Chaldaeis sumpsit ultionem, nosque creptos ex eorum servitute et tyrannide, liberos et alacres domum regredi concessit. Ipsum enim mihi hanc salutem, hoc deus, hanc felicitatem parasse, cum gaudio jugiter et gratiarum actione profitebor.

ET EXSULLABO (Tigurina, *gestiam*) IN DEO JESU MEO. — Vatablus et alii recentiores, in *Deo salute mea*, qui scilicet hanc ex Babylone liberationem et salutem mihi attulit: hoc enim significat Hebraicum יְשׁוּעָא *iesci*. Sic Deus antonomastice et metonymice dicitur salus, quia salutis omnis fons est et auctor. *Psal.* xxxiv, 3: «Die anima mea: Salus tua ego sum.» *Psal.* iii, 9: «Domini est salus.» *Psal.* xxxvii, 23: «Domine Deus salutis meæ.» *Psal.* lxxvii, 30: «Salus tua Deus suscepit me.» Verum melius et dulcius, ait S. Augustinus lib. XVIII *De Civit.* xxxii, vertit Noster, in *Deo Jesu meo*. Legit enim pro *iesci*, aliis punctis יְשׁוּעָא *Iescui*: *Iescua* enim est Jesus, *Iescui* est Jesus

meus, ut significet teneras amoris delicias, instar S. Francisci jubilantis: «Deus meus, Jesus meus, amor meus et omnia.» Sic quoque videntur legisse Septuaginta, vertunt enim, in *Deo salutari*, id est Salvatore, meo: Jesus enim idem est quod salvator; et Chaldaeus: *In Deo factore redemptionis meæ*; Syrus: *Et exsullabo in Deo salvatore (redemptore) meo*; Arabicus Alexandrinus: *Et exsullabo in Deo salutis meæ*; Arabicus Antiochenus: *Et gaudebo in Deo Domino dominorum, jubilando*. Habacuc ergo in spiritu prævidens, Iosue qui eosdem exduxit Hebræos ex Ægypto, et Cyrum qui eosdem ex Babylone liberavit, tam re, quam nomine fuisse typos Jesu Christi, adeoque hanc liberationem et salutem populo Dei attulisse divinitatis et meritis humanitatis Jesu Christi: denique ipsum longe majorem, æternamque redemptionem et salutem nascendo generi humano allaturum; exsultans in spiritu jubilat, nomenque ejus Jesus, sexcentis annis ante ortum ejus prophetat, et nominat, cum eoque dissuaviatur: quia prævidebat se et nos per eum liberandos ab hostibus omnibus, puta a dæmone, peccato, concupiscentia, carne, mundo, inferno ac omni grævia, gloria, salute et felicitate cumulandos.

Moraliter, hic discimus quam amabile et reverendum sit nomen Jesu, ut in eo jugiter exsultare et gestire debeamus, ac dicere cum S. Bernardo, «Jesus mel in ore, melos in aure, júbilus in corde.» Nomen enim Iesu significat primo, omnia dona et bona ab eo nobis donari: hæc enim omnia complectitur nostra salus, quam attulit Jesus, id est salvator. Sicut ergo omnes aquæ et sua manant scaturigine et fonte, omnes radii lucis a sole, omnes sinus et brachia maris ab Oceano; ita omnis virtus, omnis gratia et sanctitas in sui principio, medio et fine profluit a Jesu. Jesus est qui omnes sordes peccatorum suo sanguine abluit et abstergit, qui concupiscentiæ ardores sopit, qui consuetudinum malorum vincula rumpit, qui passionum furorem edomat, qui jugum et tyrannidem diaboli confringit, qui libertatem mentis restituit, qui animam sua grævia exornat, eamque facit filiam, sponsam et templum Dei, qui conscientiam tranquillat et serenat, qui sensus internos spirituumque acuit et vivificat, qui intellectum rerum divinarum cognitione illuminat, qui voluntatem earundem desiderio inflamat, qui infirmitatem nostram corroborat, qui in tentatione dicit victoriam, et in bello triumphum. Si in desolatione degis, Jesum invoca, consolatorum experiere. Si timores, si scrupuli, si anxietates te stringunt, Jesum invoca; dabit tibi cordis latitudinem et lætitiæ. Si cholera te infestat, Jesum invoca, felle passionis, et melle mansuetudinis ejus dulcorabitur. Si paupertas, si morbus, si tribulationes, si hostes te invadunt, Jesum fidenter invoca: «Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Dominus protector vite meæ, a quo trepidabo? Si

Moraliter, da nos Iesu.

Primo.

consurgant adversum me castra, non timebit cor meum; si exsurgat adversum me prolium, in hoc ego sperabo. » Quocirca viri pii assidue in ore habent nomen Jesu et Mariae, ad eumque crebro suspirant, dicendo: Jesu, esto omnis actionis meae dux et director. Jesu, esto mihi in labore adjutor, in dolore medicina, in aestu refrigerium, in morte vita. Jesu bone, in omni actione et passione assiste mihi; redde mihi laetitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me. Jesu dulcissime, rape ad te cor meum; esto mihi Jesus, tui amore me inebria, ut nil cogitem, nil amem, nil desiderem, nisi te. Mi Jesu, in hora mortis adsis mihi, et suscipe spiritum meum, ut ardentissimis amoris vinculis tibi uniar, et in eternum te fruar in celo.

Secundo.

Secundo, nomen Jesu non tantum significat salvatorem, et salutem quam nobis dedit, sed et modum quo nos salvavit, qui fuit eximius et admirabilis. Non enim uti verbo nos creavit, ita et verbo recreavit et salvavit; sed infirmitates nostras in se suscepit, ut eas in nobis sanaret: peccata nostra sua fecit, luitque in corpore suo acerbissimis penis, ut ea in nobis aboleret: mortem nostram in se suscepit, ut morte sua nobis vitam redderet. Cum ego Jesum dicimus, dicimus Verbum carnem factum, Deum humanatum, qui pro nobis jaceat in praesepe, circumcisus est, laboravit, flevit, fames, sitim, aestus, frigora toleravit; qui pro nobis captus, verberatus, conpatus, irrisus, flagellatus, spinis coronatus, felle potatus, clavus confixus, crucifixus, occisus est. Haec omnia significamus, cum Jesum nominamus. Quocirca nomen Jesu, ut summe est hominibus desiderabile et angelis venerandum; ita summe demonibus est tremendum et horrendum, ut eo audito expavescant et diffugiant. Vide S. Bernardum serm. 45 in Cantico. Jesus ergo sit amor noster, et centrum cordis nostri. Jesus sit spiritus oris nostri, Thren. iv, 20. Jesus sit anima et vita nostra, ut, sicut in illo secundum Deum vivimus, movemur et sumus, ita illi soli serviamus et placeamus; illi soli loquamur, videamus, ambulemus, operemur et patiamur quidlibet, quantumvis difficile et arduum.

Præclare S. Chrysostomus, homil. 14 in epist. II ad Corinth. : « Cum, inquit, per Christum Jesum mortuum vivamus, et utique, ob quem vivimus, vivere debemus. » Et S. Bernardus, serm. De Quadruplici debito, hoc primo loco assignat: « Primo, inquit, Christo Jesu debes omnem vitam tuam, quia ipse vitam suam posuit pro tua, et cruciatus amarus sustinuit, ne tu perpetuos sustineres. » Ac post multa in hanc rem, ita concludit: « Cum ergo et donavero quidquid sum, quidquid possum, nonne istud est sicut est stella ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, granum ad acervum? » Idem, tract. De Dilig. Deo: « Si totum me debeo pro me facto, quid addam jam pro relecto, et relecto hoc modo? Nec enim

tam facile relectus, quam factus: nam qui me semel et tantum dicendo fecit, in relecto profecto et dixit multa, et gessi mira, et perlitit dura; nec tantum dura, sed et indigna. In primo opere me mihi reddidit, in secundo se; et ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo, et reddidus, me pro me debeo, et his debeo. Quid Deo retribuam pro se? Nam etiamsi me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum? »

19. DEUS DOMINUS FORTITUDO MEA. — Hebraice, Vers. 19.

Jehova noster elohim, id est noster provisor, gubernator et rector, est יהוה elohi, id est virtus mea, strenuitas mea, vigor meus, exercitus meus, vires meae, robur meum. « Nullam enim aliam nisi in Christo habeo virtutem, et cunctas legis justitias quisquillas computabo, » ait S. Hieronymus.

Porro Propheta hic exsultat et triumphat, non in se, sed in Domino, dicens: « Deus Dominus fortitudo mea. » Sicut enim aeris lumen est sol, nec interest utrum hoc lumen innatum ei sit, an a sole mutuatum, modo ita ei promptum sit ad ad manum, ac si ei esset innatum: sic nos Dei et Jesu viribus utimur, ac si essent nostrae, ideoque ipse est fortitudo nostra. Quid autem haec ejus fortitudo in nobis efficit? « Ponet, inquit, pedes meos quasi cervorum, » ut impigre, alacriter et sine fatione currant, non solum in infinis et in planitie, sed « super excelsa, » et difficilia quaque, idque me non dolente aut gemente, sed « in Psalmis » cum júbilo et gratiarum actione canente. Id videre ad oculum est in novitibus Religionum, quos Deus tanta laetitia, fervore et spiritu cumulat, ut ardua quoque Religionis exercitia alacres capessant, de quibus apposita et illustra exempla recenset P. Platus lib. III De Bono status religiosi, cap. XVI.

ET PONET PEDES MEOS QUASI CERVORUM. — Sub cervis cervas intellige. Nam cervus, bos, equus, ovis, etc., tam feminas quam mares significant. Nam hebraice est אילת aloth, id est cervarum. Cervae enim cervis maribus sunt velociore, quia oornibus, ut illi, non praegravantur. Mas eliam cum pinguerit, quod valde tempore fructuum fit, nusquam apparet, sed longe secedit, ut qui corpulentiae suae gravitate capi se posse facillius sentiat. Adde quod ferarum quadrupedum, ut ait Aristoteles, cerva maxime prudentia excellere videatur, quin et Q. Sertorii cervam fatidicam esse Hispani crediderunt, ait Plinius lib. VIII, cap. xxxi, tum quia cerva circa semitas parit, quo fere propter homines minus accedit; tum quia cum peperit, involverum primum exedit, mox seselim herbam petit, quam cum ederit, redit ad prolem. Praeterea hinnulum quem genuit ducens in stabula, assuefacit quo refugere debeat. Saxum hoc est abruptum, uno aditu: quo loco etiamsi quis invadit, expectare repugnareque, etiamsi excornis sit, affirmant. Haec omnia habet Aristoteles lib. IX Histor. Animalium,

Cervae
quarta
libris,
cap. 1.

cap. v, et Plinius loco citato. At contra maribus:

Degener est animus pectusque ignobile cervis.
Ingens ad fistum cornu, sed inutile pondus
Emacet, ut nunquam colligere coramibus ausint.

Per cervas ergo significat Habacuc Judaeos Dei ope non tantum celerime a Babylone in antiqua stabula, et excelsa abruptaque saxa ac montes Palaestina redituros; sed etiam bello fore acres et martios, ut in finitimis nationibus urbis Jerusalem reedificationem interpellantibus generose resistent, et isque invitis eam restaurent, inquit Guevara.

Topologie, S. Gregorius lib. XXVI Moral. x: « Electorum, ait, mentes cervi dicuntur, dum quaeque in hoc mundo obviantia consistere sibi conspiciunt, contemplationis saltu transcendunt, et more cervorum despectis terrenarum rerum sensibus, in superna, id est aeterna, se evolvunt. »

ET SUPER EXCELSA MEA (juga collium et montium Judaeae) DEDUCET ME (hebraice ידריכני idricheni, id est calcare me faciet) VICTOR IN PSALMIS CANENTEM, — quibus scilicet laeta Deo victori epicia, laudes et gratiarum actiones cum canticis, organici et júbilo personem et concrepem. Loquitur Habacuc in persona non tam sua, quam Judaeorum, qui festivo redituri erant a Babylone. Nam ipse consueque non vixit, nec hunc reditum aut redeuntium gaudium vidit.

Mystice, S. Hieronymus in Psalm. xvii: Deus, ait, dat pontice nobis pedes quasi cervorum, imo cervarum, cum facit sua consolatione et gratia, qua mentem mulcet, ut omnia mundi excelsa, tam inviamenta, quam impedimenta et tentamenta, omnia ardua virtutum opera, labores, dolores et cruces, non tantum fortiter, sed et alacriter, lutoque et hilari animo canentes et jubilantes (unde aliqui vertunt: Super colla inimicorum meorum imponet me) transiliamus.

Anagoge, per pedes cervorum significatur dos agilitatis, quae sanctos agiliter per excelsa colorum transire, imo transvolare facit, q. d. Deus peracto iudicio, agiliter me cum aliis sanctis sustollit in caelum, ut ibi illi et Agno juges concipiam laudes, quas audivit S. Joannes Apoc. v, 12, Christo victori mortis, inferni et hostium omnium, « qui me omnem mundanam solemnitate contemplatione caelestium transcendere fecit, » ait S. Hieronymus, Qui et addit: « Et ponet pedes meos quasi cervorum, ut calcem super aspidem et basiliscum, etc. Similis enim est fratulis meis capreae, aut hinnulo cervorum, Cant. II: Et quia ipse est cervus, mihi quoque donavit ut cervus essem, sublimis cornibus, findens ungulas, cibos ruminans, et ad odorem meum serpentes fugans, de quo dicitur Psalm. xxvii: Vox Domini perficientis cervos. Ponet ergo pedes meos inter ceteros cervos suos, et ad caelestia perducat, ut inter angelos canam gloriam

Domini, et super terram pacem hominibus bonae voluntatis annentem. Canam autem victoriam ejus et triumphum et trophaeum crania. »

VICTOR, — hebraice לַמְּצוֹחַ lamtsach, id est victori, scilicet canentem me in psalmis. Unde Chaldaeus: Cujus, ait, sunt victoriae et virtutes, proinde coram eo ego fides pulso cum hymno meo; et Pagninus: Victori in psalmis meis. Ita et Tigurina, Vatablus, Guevara, Ribera, Jansenius et alii passim, qui consent legendum victori (non victor); sic enim legit S. Hieronymus in Commentario, Remigius et alii. Videtur enim Propheta alludere ad psalmos m, iv, v et sequentes, quibus titulus est lamtsach, id est vincenti, scilicet Christo. Unde Septuaginta vertunt, in finem, id est Christo, qui legis et psalmorum est finis et scopus; illi enim psalmi sunt epicia Christi. Licet Aquila, Theodotus, Vatablus, Eugubinus, Jansenius, Arias, Genebrardus et alii recentiores passim cum Rabbini consent lamtsach, id est vincentem, vocari praefectum cantorum: unde addit tam Psalter, quam Habacuc hic in hebraeo בִּינְיָוִן binginat, id est in nequitate, quod genus est musicos, vel instrumenti. Quocirca Tigurina vertit: In excelsis meis incedere me faciet praefecto cantorum in instrumentis meis musicis, ut scilicet cum praefecto et sub praefecto, eo dirigente concinam psalmos in laudem Domini; vel, q. d. Gratias agam Deo ductori meo, cantando psalmos illos, quibus titulus praefigitur lamtsach, id est vincenti, hoc est praefecto cantorum. Hic enim ad litteram intelligitur, cum in titulo psalmi inscribitur lamtsach, per quem allegorice intelligitur Christus. Radix enim מָצַח matsach significat instare, urgere, vincere: inde praefectus, qui dirigit urgetque cantores sibi subiectos, vocatur menatsach, id est urgens, vincens, superans: quia ipse in musica et cantu princeps est, ceterosque cantores superat; cantumque ad finem usque perurget et perducit. Vincit ergo ipse et triumphat in musica. Porro quod aliqui consent hoc canticum ab Habacuc inscribi lamtsach, id est praefecto cantorum, illicque dici, ut ipse illud in templo concini curet, sicut David psalmos jam dictos eidem inscribit et destinat ad idipsum, non videtur verum, tum quia sic lamtsach initio cantici ponendum fuisset, ut illud ponit David initio psalmorum, non autem in fine, ut ibi ponitur; tum quia additur binginat, id est in psalmis meis: psalmodiam ergo intelligit suam, non praefecti cantorum (1).

(1) Verba postrema lamtsach binginat, formula musica sunt, non recte intellecta ab Interpretibus, inquit Maurer. Reddenda sic sunt: Praeceptorum canendum (carmen progressum cap. m) falibus meis; vide ad Psalm. iv, 1. Cum dicit binginat, falibus, generatim instrumentum significat, quo abhibito carmen concinendum sit; binginat vero, falibus meis, cum dicit, fidem certum quamdam formulam indicat, qua de melodia edocetur praecceptor: cf. ad Psalm. vi, 1. Utebatur vates in

Verum quia subinde (licet raro et anomale) littera *lamed*, quæ est initio *lammateach*, estque articulus et nota dativi casus, servit nominativo, ut sil idem quod *he* demonstrativum; hinc *lammateach* verti potest *victor* in nominativo, et ita legit Remigius, Haymo, Albertus, Hugo, Clarius et alii. Rursum *lamed* sæpe servit accusativo: unde *lammateach* verti potest *victorem*, æque ac *victori* et *victoria*. Hæc tria hic apposita sunt et connexa: unde omnia videntur infenta et significata a Spiritu Sancto, *q. d.* Deus ipse *victor* fecit me *victorem* per Jesum Christum, deditque ut Christo victori iuges et æternas laudes concinam, ac præsertim illos psalmos qui sunt epinicia Christi, ideoque inscribuntur *lammateach*. Ita S. Hieronymus, Remigius. Hic sensus plenus est, omnesque jam dictos complectitur.

Septuaginta pro *lammateach* legentes *למנח למנח*, id est ad urgendum vel vincendum, revertunt, ut *vincam* in canticis eius, *q. d.* Ut in laudando Deum, psallendo et gratias agendo cæteros vincam, imo eos urgeam et sollicitem, ut pro me et mecum Deo psallant et jubilent. Unde

Anagogice.

S. Hieronymus hæc refert ad triumphos et hymnos Beatorum, postquam calcaverint excelsa quæque mundi. «Tunc, inquit, quicumque justus et electione Dei dignus fuerit inventus, loquetur exultans: Ego autem in Domino exultabo, gaudebo in Deo salutari meo. Dominus Deus fortitudo mea. Et quasi positus a Deo super consummationem sæculi, ut postea ad superiora conscendat, et a Deo educatur ad summum, dicit: Et ponet pedes meos in consummationem, super excelsa imponet me, ut cum ab æquitate Jesu, qui primus in agone superavit, præmium fuerit cantantibus positum, ego vincam in carmine ejus, et manus meæ componant citharam et psalterium, et omne organorum genus, scribamque panegyricum triumphantis.» Et Remigius: «Deducet, ait, me super excelsa mea. Ipse autem deducet me, quia hæc non mea virtus efficit, sed ejus gratia. Deducet autem me canentem victori, id est Christo triumphatori mortis et diaboli. Deducet ergo me super excelsa, hoc est ad beatam supernæ civitatis frequentiam, quæ ex angelis et sanctis hominibus constat, ut illis admixtus atque conjunctus canam victori cum angelis: Gloria in excelsis Deo.»

Moraliter, discite Prophetas et Sanctos, omnes suas vires, virtutes, victorias et triumphos acceptos referre Deo et Christo. Ita Jephthe *Judic.* cap. XI, 24: «Nomine, ait, ea que possidet Chamos Deus

carminibus suis vel ab ipso vel ab aliis canendis certa filium forma, ad certos tonorum modos ac numeros profertendos idonea. Vides jam bene concinere hanc, quæ in fine carminis posita est, formulam et illam, quæ posita est in fronte. Hæc enim adhibito filium instrumento, et certo quidem illo ad efficiendam certam melodiam composito canendum carmen esse indicatur, illa vero qualis sit ista melodia significatur.

tuis, tibi jure debentur? Quæ autem Dominus Deus noster victor obtinuit, in nostram cedent possessionem.» Ita David benedicens Domino, I *Paral.* xxx, 41: «Tua, ait, est, Domine, magnificentia, et potentia, et gloria atque victoria.» Ita Sapiens, *Sap. x*, 19, 20: «Justi, ait, tulerunt spolia impiorum, et decantaverunt, Domine, nomen sanctum tuum, et victricem manum tuam laudaverunt pariter.» Ita Moses parta victoria de Pharaone in mari Rubro: «Cantemus, inquit, Domino: gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem deiecit in mare,» etc., *Exod.* cap. xv, 1. Et cap. xvii, 45, victo Amalec, «ædificavit Moyses altare: et vocavit nomen ejus, Dominus exaltatio mea.» Ita Judith, cæso Holoferne, cap. xvi, 45, Deo victori hymnum cecinit: «Hymnum cantemus, ait, Domino, hymnum novum cantemus Deo nostro. Adonai, Domine, magnus es tu, et præclarus in virtute tua, et quem superare nemo potest. Tibi serviat omnis creatura,» etc. Multo magis sancti, victo diabolo, carne et mundo, triumphantes et regnantes cum Christo, illi omne suum robur, victoriam et gloriam adscribunt. *Apocal.* iv, 10: «Procidebant, ait Joannes, viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, et adorabant riventem in sæcula sæculorum, et mittebant coronas suas ante thronum, dicentes: Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, honorem et virtutem.» Et cap. xv, 2: «Vidi, ait, tanquam mare vitreum, etc., et cantantes canticum Moysi servi Dei, et canticum Agni.»

Porro præclare noster Lessius lib. XII *De Perfect. divin.* cap. xix, notat nos Deo nostro debere gratiarum actionem infinitam, nempe infinito tempore in futurum, infinito affectu et significatione gratitudinis, infinita cum animi demissione, infinita mentis devotione, infinito spiritu jubilo, ut cum habæone perpetui ei jubilemus: «Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo.» Ratio est, quia beneficia ejus, tum generalia creationis, passionis, Eucharistiæ, etc., tum peculiaris vocationis, justificationis, atque infinitorum beneficiorum, tam naturalium quam supernaturalium, quæ ab eo continuo gratis ex mera ejus liberalitate accepimus et accipimus; sempiterna sunt, et infinite estimationis, non modo in seipsis, sed etiam ratione modi quo nobis sunt collata, et conferuntur, præsertim quia nos illis infinite quodam modo sumus indigni, atque illa a summa illa et augustissima Dei majestate, quam ne respicere quidem meremur, nobis donantur. Simili modo ob eadem, sed maxime ob Verbum humanatum, puta Jesum Christum, qui nostra caro, noster frater, imo pater et redemptor fieri dignatus est, ideoque tot labores per triginta tres annos pro nobis exantillavit, ac atrocissimam passionem, crucem et mortem pro nobis ultro libensque sustinuit, denique se totum, quantum quantum est, nobis impendit et donavit, ut nobis hanc victoriam, salu-

Infinita gratia Deo debetur infinitis modis.

tem et gloriam pareret (præsertim, quia multi ab eo sunt vocati, sed pauci electi ad illam) debemus illi, totique Sanctissimæ Trinitati infinitam laudem et benedictionem, infinitum amorem et obsequium, tum quia infinito amore, obsequio, benedictione et laude, ob infinitam suam perfectionem, in se dignissimus est; tum quia ejus labores, dolores, amores et beneficia ex parte sua hanc infinitam compensationem postulant, quamvis ex parte creature ea præstari non possit. Mirum est homines cum S. Magdalena, S. Francisco, S. dominico non rapi in extasin, dum cogitant et ruminant: «En Deus meus pro me in carne, imo in cruce.»

Infinite itaque in omnibus absumus ab eo quod ipsi est debitum, seu ab eo quod ipse ex natura sua meretur, quodque nos ei debemus, licet solvendo non simus. Ut tamen quod possumus ei reddamus, crebro cum Psal. ciii, ei jubilemus: «Benedic, anima mea, Domino: et omnia que intra me sunt, nomini sancto ejus. Benedic, anima mea, Domino: et noli oblivisci omnes retributiones ejus. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates

tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia et miserationibus. Qui replet in bonis desiderium tuum.» Et *Psal.* lxxxviii, 1: «Misericordias Domini in eternum cantabo. In generationem et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo.» Insuper, quia eum laudare, eique gratias agere quas debemus, nequam sufficimus, invitemus omnes angelos, omnes beatos, omnes celos, omnes creaturas, terrestres et celestes, ut nobiscum, et pro nobis Deo et Jesu Christo, de infinita in nos misericordia gratias agant, eumque laudent et benedicant, ac cum Daniele dicamus: «Benedicite, omnia opera Domini, Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. Benedicite, angeli Domini, Domino. Benedicite, caeli, Domino,» etc. Quin et divino amore ebrui, optemus mille linguas, mille corda, mille animas, mille vitas, mille corpora, quæ in ipsius honorem consumamus et expendamus: imo optemus tantum eum amare et laudare, quantum eum amant et laudent omnes sancti in celo, ac eorum laudes et mentes quasi indiuamus, ut per eos Deum immense diligamus, colamus, celebremus et glorificemus. Amen.